

rium ac Liuiam, illum metu, hanc ^a nouercalibus odiis, suspecti & iniuisi iuuenis cædem festinauisse. Nuntianti centurioni (^b vt mos militiæ) factum esse quod imperasset, neque imperasse sese, & rationem facti redendam apud senatum respondit. Quod postquam Sallustius Crispus particeps secretorum (is ad tribunum miserat codicillos) comperit, metuens ne reus subderetur, iuxta periculoſo, facta seu vera promeret, monuit Liuiam, ^c ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, néue Tyberius ^d vim principatus resolueret, cuncta ad senatum vocando: eam conditionem esse imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si vni reddatur. At Romæ ruere in seruitium Consules, Patres, Eques, quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque cōposito, ^e ne leti excessu principis, neu tristiores primordio, lacrymas, gaudium, questus adulazione miscabant. Sextus Pompeius, & Sext. Apuleius Cosl. Primi ^f in verba Tyberii Cæsaris iurauere, apudque eos Seius Strabo, & C. Turranius, ille prætoriarum cohortium præfetus, hic annonæ mox senatus, milesque, & populus. Nam Tibe-

¹ Forte legen-
di, nec pro ne-
& ncu, fed hoc
coru vique ad
illud, primor-
dio, potius cre-
diderim no-
te Tactus: sed à
margine irre-
fissile in contex-
tum.

OBSERVATIONES.

^a Nouercali odio intensius nihil est. certè nouerca perraro caret susptione, ^f atrox aliquod facinus admissum est, quod inde profectum esse quisquam suspicari posse.

^b Qui mos militiæ est, omnibus in rebus seruandus est, nempe, simulatque imperata facta sunt, cui id negotiū datum est, continuò id ipsum an ex animi sententia, an vero secus cesserit, imperatori, aut ei, à quo mandata accepit, renuntiare debet.

^c Nunquam non princeps, si quod facinus admissum est, quod hominum opinionibus turpe est, et si id in suam ipsius vilitatem redundat, aut etiam ab se profectum est, eoque ipse mirifice latatur, ei se autorem esse pevnare debet, & suo exemplo homines docere, nihil esse vtile, quod non idem honestum sit, sic lib. I. histos. Obuius, inquit, in palatio Iulius Atticus spiculator cruentum gladium ostentans, occisum a se Ottomem clamauit: & Galba, Commilito, inquit, quis insit?

^d Prudentia principis tribus in rebus potissimum perspicitur; si, que occulta, & arcana esse debent, recondit; si fidelibus, & prudentibus amicorum consilii paret; si eorum ministeria, sine quibus imperium administrari non potest, nunquam vulgarit. Itaque mandet memoria princeps; non minus sua interesse, que mandatu suo, occulta facta sunt, recondi, quam ea, prius quam fierent, non vulgari interfuerint.

^e Vis principatus in eo consistit, ut omnia non ad senatum, aut ad magistratus, sed ad unum principem vocentur; neque cuiquam nisi in ipso, eorum omnium, que aguntur, ratio reddatur.

^f Princeps mortuo, amicus principis (hos hodie vocamus aulicos) vultu neque in nimium dolorem, neque in immoderatam letitiam composto esse, sed lachrymas ob excessum superioris principis obortas temperare audito debet; nempe, ut probet nouo principi, se non tam id dolere, quod superior vita concessit, quam ipsius imperio, & principatu latari; seque eius honorem summa gratulatione excipere.

^g Is qui in principatu nondum adulto, & confirmato retens successit, rebus omnibus hanc preservare debet, ut, scilicet, supremi magistratus in sua verba iurent; mox senatus, miles, & populus; hoc est, y omnes, quorum in manu resp. esse creditur. nempe, ut y, quibus publica munia mandata sunt, plane intelligant, nihil in rep. agi, quod non ad principem referri oporteat. cum unius ipsius persona, autoritate, dignitate, ac maiestate singulorum salus continetur.